

PA 4023

.Z5 S4

Copy 1

DE
HYMNI IN MERCURIUM HOMERICI
COMPOSITIONE, PRISTINA FORMA
ET INTERPOLATIONIBUS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
SENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA
HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XVI. M. OCTOBRIS A. MDCCCLXVIII

H. L. Q. S.

UNA CUM THESISIBUS A SE PROPOSITIS

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

OSCAR SCHULZE

SAXO-BORUSSUS.

Ernst Albert Oscar

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

P. STERN, CAND. MATH.

R. MAENNEL, CAND. PHIL.

HALIS,
TYPIS LIPKIANIS.

[1868]

PA 4023
7554

Praefatio.

Si quis nostra aetate ad aliquam poesis quae fertur Homericæ partem tractandam accedit, valde metuat, ne quum Viri Doctissimi iterum iterumque omnes animi vires contulerint ad Homeri carmina examinanda, nihil fere nisi harioletur de quaestione, quae quanquam historica, tamen quoniam versatur in tempore de quo nihil testatum habemus, omni praesidio caret nisi quod est in probabilitate positum. Hac igitur de quaestione, quae praecipue inde a Wolfio Viro Summo in disceptationem vocata et praeter alias digna habita est quae maximis stadiis retractaretur, dubium esse non potest, quin quot Viri Docti tot variae sententiae nunc quoque in lucem proferantur, et quum nihil reliquum sit, quam ad conjecturas confugere, quas patet saepe vacillare, praesertim quum fontes ex quibus peti possint, parum limpidi sint, prae ceteris quod conjectando sumendum est, id aut consequatur probabili quodam modo ex iis quae certa sunt, aut causam unde explicari ea de quibus constat possint, contineat idoneam. Quum jam de duobus excellentissimis fere quae ad nos ex antiquitate perrenerunt carminibus non modo nostrae aetatis sed vel complurium a. Chr. n. seculorum

Viri D. valde inter se discrepent, quid mirum quod etiam carmina minora et imprimis hymni Homerici innumerabiles dubitationes excitarunt, ex quo Ruhnkenius vir acutissimus iis emendandis operam dedit in „Epist. crit. in Homeridarum hymnos et Hesiodum ad Valkenarium data Lugd. Batav 1749.“ — F. A. Wolfius, etsi totus in Homeri carminibus occupatus, tamen operam suam magis Iliadi et Odysseae quam carminibus minoribus navavit. Anno post quam „Prolegomena“ illa ad Homerum inclyta edidit, Ilgenius proprio volumine hymnos *Batrachomyomachiam*, *Epigrammata*, *Eiresionen* etc. cum commentario amplissimo, qui etiam nonnunquam uberiore in lucem emisit (Hal. Saxon. 1796). Quam editionem paullo post secutae sunt Aug. Matthiaei „*Animadversiones in hymnos Homericos*, Lips. 1800“, eo praecipue maximi momenti, quod vir clar. innumerabiles dubitationes indagavit, quae quanquam saepissime vanae sunt exque libidine quam plurimos locos textu segregandi ortae, tamen a criticis hanc viam lubricam incedentibus summa quae par est observantia gratoque animo accipiendae sunt. Deinde Groddeckius, G. Hermannus, Fr. Frankius, A. Baumeisterius, viri summopere in hanc materiam enucleandam et emendandam meriti, hymnos Homericos ediderunt locosque haud paucos sanarunt meliusque curarunt. Praetermissis iis qui unum alterumve hymnum separatim explicarunt, videamus quae nam cura a Viris Doctis hymno in Mercurium habita sit. Praecipue nominandi sunt J. H. Vossius, qui in *Epistt. mythol.* vol. I. ep. 16 — 19 de

hymno disputavit; deinde Schneidewinus in „Philologi vol. III. p. 659 — 701 multos locos sub examen vocavit et correxit. Nuper Stollus in commentatione scholastica Weilburgensi (1861) et Gerh. Grevius in dissertatione inaugurali „De hymno in Mercurium Homericum Monast. 1867“ fabulam dictionemque carminis tractarunt. Sed quum ex mea sententia satis multa sint relicta quae disquisitione critica digna videantur, hasce studiorum primitias mihi placuit ponere in examinando carmine quemadmodum traditum sit, ita ut quae spuria quaeque genuina sint recenseam. —

Hymnorum quos habemus Homericorum collectionem Homeri nomine inscriptam iam tertio a. Chr. n. seculo exstitisse tradiderunt Antigonus Carystius, Diodorus Siculus (I, 15; III, 65; IV, 2 *“Ομηρον* sive *τὸν ποιητὴν ἐν τοῖς ὕμνοις* laudat). Pausanias, Herodianus, Philodemus in libro *„περὶ εὐσεβείας“* ¹⁾ et Suidas, qui s. v. *Μαιονίδης* Homerum *κοίρανον ὕμνων* appellat. Quibus in carminibus tanta est saepenumero sermonis diversitas ab Homericis (de qua infra dicendum erit), ut neminem quos habemus hymnos aetate Homericis seriores esse fugiat. Qui vero, quaesiverit quispiam, factum est ut haec carmina poetae celeberrimi nomine venditata tamen a doctissimis antiquitatis grammaticis et criticis ne obiter quidem memorarentur? Nusquam enim apud Zenodotum, Aristophanem, Aristarchum eorum fit mentio, unde Wolfius in Prolegg. p. 246 recte

¹⁾ Gompertzii editionem inspiciendi mihi non erat data facultas.

conclisit, eos totam collectionem aut prorsus ignorasse aut carmina pro Homericis non agnovisse. Contra facile intelligas hymnos quodammodo ad Homeri nomen referendos esse, sive vere Homeri sunt sive ex eius schola.

Iam inter omnes constat Graecos quo erant liberali ingenio festis diebus publica certamina instituisse, quibus et corporis et animi vires ostentarent praemiaque virtutis auferrent. In his certamina rhapsodorum quoque fuerunt, qui Homeri carmina aut tota, alii alios excipientes (ἐξ ὑπολήψεως), aut delectas, prout liberet tempestivumque videretur, partes (i. e. οἷμας) recitabant, praecipue in festis Panathenaeon et Carneon, de quibus conferas Lycurg. adv. Leocr. §. 102; „οὕτως ὑπέλαβον γὰρ ῥημῶν οἱ πατέρες σπουδαῖον εἶνα ποιητῆν, ὥστε νόμον ἔθεντο καὶ ἐκάστην πενίαετηρίδα τῶν Παναθηναίων μόνον τῶν ἄλλων ποιητῶν ῥαψωδεῖσθαι τὰ ἔπη“, et Diog. Laert. I, 57; „(Σόλων) τὰ τε Ὅμηρου ἐξ ὑποβολῆς γέγραφε ῥαψωδεῖσθαι, οἷον ὅπου ὁ πρῶτος ἔλεξεν, ἐκεῖθεν ἄρχεσθαι τὸν ἐχόμενον.“ Sed hic locus aut magnopere corruptus est aut negligentiam Diogenis luculenter probat, quippe qui ἐξ ὑποβολῆς explicet „οἷον ὅπου κ. τ. λ.“; nam quum constet, Solonem rhapsodos Homeri ἐξ ὑποβολῆς recitare iussisse, i. e. nonnisi ea quae libro cuidam Homeri carmina complectenti mandata erant, Hipparchum deinde ἐξ ὑπολήψεως, i. e. aliis alios excipientibus; Diogenes aut scribere voluit ἐξ ὑπολήψεως, aut ex alio scriptore, apud quem non erat ἐξ ὑποβολῆς, postrema verba addidit, aut culpa librarii post ῥαψωδεῖσθαι intercepta sunt verba

„*Ἰππαρχός τε ἐξ ἐπολήψεως.*“ Quam sententiam praeferat pro sua quisque optione videat. Ceterum hoc de loco uberius disseruit G. Hermannus in „Opuscul. vol. V, p. 300 seq.“

Errat Nitschius qui modo *Piadem* et *Odysseam*, nec vero hymnos a rhapsodis recitados esse dicit; nam usque ad *Pisistrati* aetatem sub nomine *Homeri* omnes scholae ionicae poetae amplexabantur, quibus oppositi sunt poetae e schola *Hesiodi* sive *Boeotica*. Poetae priusquam rhapsodiam aliquam ex *Piade* vel *Odyssea* desumptam (quam *οἶμν* vocabant) recitarent, prooemium ab ipsis confectum aut a prioribus traditum, mutilum sane et saepenumero variatum, praemittebant, quod pro argumento rhapsodiae aut die festo aut anni tempore ad carmen decantandum pertinebat; eiusmodi prooemia fuerunt hymni qui dicuntur *Homerici*. Carmina igitur illa non sunt opuscula per se absoluta et finita, ut *Wolfius* in *Prolegg.* p. 150 luculenter ostendit, sed eo consilio composita, ut iis praeluderetur maioribus carminibus; hac ratione etiam explicatur omnium fere clausula: „*αὐτὰρ ἐγὼ καὶ σεῖο καὶ ἄλλης μνήσοιμ' αἰοιδῆς,*“ vel: „*σεῦ δ' ἐγὼ ἀρξάμενος μεταβήσομαι ἄλλον ἐς ὕμνον,*“ vel: „*αὐτὰρ ἐγὼν ὕμνων τε καὶ ἄλλης μνήσοιμ' αἰοιδῆς*“ aliae. Gravissimum autem argumentum sententiae *Wolfii* positum mihi videtur in loco apud *Thucydidem* l. III, c. 104: „*δηλοῖ δὲ μάλιστα Ὅμηρος ὅτι τοιαῦτα ἦν ἐν τοῖς ἔπεισι τοῖσδε, ἃ ἔστιν ἐκ προομίων Ἀπόλλωνος*“ sequuntur versus 165 — 172 ex hymno in *Apollinem*).“ Sed in numero triginta quatuor qui exstant hymnorum.

quinque sunt quos forsitan aliquis praeludendi causa non confectos esse censeat; sunt hymni in Apollinem duo, in Mercurium, in Venerem et in Cererem, carmina epica per se absoluta et finita adque artis praecepta accurate digesta et elaborata, quum omnia minora carmina prooemii more et legibus conformata sunt. Vix autem probabile videtur hos maiores hymnos festis diebus in honorem deorum, quorum laudes praedicarunt, arhapsodis recitatos esse nullo carmine adiuncto, ita ut rhapsodiae ipsius locum obtinerent. Mirum enim me habet, quod hi maiores quoque hymni formulis solennibus clauduntur, ut hymni in Apollinem, in Mercurium et in Cererem: *αὐτὰρ ἐγὼ καὶ σεῖο καὶ ἄλλης μνήσομ' αἰοιδῆς*, hymnus in Venerem: „*σεῖ δ' ἐγὼ ἀρξάμενος μεταβήσομαι ἄλλον ἐς ὕμνον*,“ quanquam ex his clausulis coniectura satis certa duci nequit; nam quis pro certo affirmet rhapsodum, priusquam carminis epici quod recitationis caput esset, particulam decantaret, prooemium ducentorum vel complurium versuum praemisisse, quo eum auditores magis defatigasse quam delectasse persuasum habeo. Matthiaei sententia illas clausulas ab iis qui hymnos recitabant pro re ac tempore allitas, fortasse etiam a librariis ad omnes hymnos tractas esse iustis causis caret, ita tenendum mihi videtur maiores quoque hymnos carminum Homerorum recitationi vulgo esse praefixos. —

De hymni argumento et compositione.

Initium facit poeta ab invocatione Musae, quae Mercurium, Iovis et Maiæ filium, laudibus efferat. Furtim amplexatus est Iuppiter Maiam silentio noctis, qui amor clandestinus omnes deos deasque effugerat; decimo autem post concubitum mense Maia filium peperit fraudulentum et petulantem, qui praeclara inter immortales munera editurus erat. Puer vix natus matris gremio desiluit consiliumque cepit Apollinis boves abigendi, ad quod statim exsequendum antro, quod mater habitabat, egressus est. Obvenit ei testudo, et valde laetatus, quum se magnam voluptatem et utilitatem inde percepturum esse praevideret, animal domum asportatum necavit et carne ex testa resecta lyram septem chordarum sibi confecit. A nullo magistro edoctus statim psallit laudesque generis sui et domicilii et rerum quae ante oculos ei obversabantur cecinit. Deinde lyra in cunis deposita furis instar ad boves abigendas profectus, Pierium montem, ubi vaccae immortales per prata herbosa pascebantur, petiit. Quarum quinquaginta a grege separatas ultro citroque ad Alpheum flumen versus abegit, vestigiis, quibus furtum in lucem prodi posset, confusis; sibi ipse Mercurius calceamenta e virgulis facta subligavit. Prope urbem Onchestum ad fines Boeotiae sitam senem animadvertit in sepe per noctem ducenda occupatum, quem ne quid proderet admonuit. Ita a nullo alio impeditus ad Alpheum pervenit ibique boves, postquam iis pabulum et aquam praebuit in stabula coegit. E ramis ferro fricatis deus ignem elicit, quo facto duas boves mactavit carnisque partem in veribus assavit, deinde farcimen fecit. Ratione

habita deorum carnes in duodecim partes dividit singulisque suam portionem sacravit, ipse vero, quanquam suavissimo carnis odore pellectus a gustando se abstinuit. Quae reliqua erat carnem partim in antro abdidit partim cremavit, boum pellibus in rupe ante antrum suspensis. Hinc rediit ad montem Cyllenen, postquam quae sibi ex viminibus connexerat calceamenta in Alpheum deiecit et cineres diligentissime exstinxit. — Antrum furtim assecutus fasciis se involvit et in cunis se abdidit, laeva manu lyram tenens. Revertentem et quamvis suspenso pede ingredientem Maia animadvertit; acerbissimis verbis puerum increpat: diis et hominibus malum eum esse a Iove genitum. Filius autem bene se defendit: quisnam putet se vix natum et in nequitiis nondum exercitatum tam grave facinus commisisse? Ceterum se non passurum esse matrem cum ipso, deorum praestantia paene orbatos, in antro iacere; se quidem id appetere ut eosdem atque Apollo haberet honores, iram Apollinis se nauci aestimare, quippe quum si sibi ullum malum inferret, maius ei paraturus esset. — Prima luce Apollo, furto cognito, boves quaesivit. Ad Onchestum in senem illum incurrit. Interrogatus num boves praecedente tauro vidisset, senex loquaciter narrat, se puerum, baculum manu tenentem, boves retrorsum abigentem animadvertisse. Apollo aquila per aera transvolante statim suspicatur, Mercurium vafrum fuisse furem. Purpurea nebula coopertus Pylum ingreditur, in itinere pueri admiratus artificium, quippe qui vestigia, quantum fieri potuit, deleverit. Reperit Mercurium in cunis, qui lyram bracciis tenens dormientis prae se fert speciem, sed deum nequam fallit; Qui quum antrum oculis perlustraverit ad cunas conversus a puero flagitat, ut quo boves abdidit patefaciat. Mercurius autem sese admirari simulat, quod Apollo ipsum furem abitretur. Astutia dei et gestus ridiculi cachinum Apollinis commovent qui illum aliquando furum ducem ac principem fore praedicat. Deinde puer

ab Apolline e cunis sublatus ventris crepitu efficit, ut Phoebus eum humi deponat. Nihilominus a fratre coactus viam ad boum stabulum praeire, Mercurius se neque vidisse boves neque furto abegisse iterum iterumque confirmat. Rixantes ad Iovem, cuius iudicium provocaverat, magno deorum risu perveniunt: Apollo rem uberius exponit, Mercurius vero his verbis fidem prorsus nullam habendam esse contendit, quum se vix natum furtum non commisisse per se eluceat; quin etiam iureiurando se iniuste criminis argui comprobaturum esse pollicetur. Attamen perspexit Iuppiter fraudem dei callide palpebrantis eumque iubet Apollini quo boves abdidit, dicere. Iovis obsecuti voluntati in antrum perveniunt. Dum Mercurius boves stabulo educit, Apollo pelles super rupes constras animadvertit; pueri vires magnopere miratus et metuens, ne sibi ipsi vim inferret, vincula viminea ei iniecit quae vero statim in solo radices capiunt. Apollinis iram placaturus ille lyram depromptam pulsat et a Mnemosyne, Musarum matre, ordiens deorum originem, potestatem et gloriam praedicat. Summa laetitia captus Apollo se boves lyra compensaturum et Mercurio locum inter deos honoratum constituturum esse promittit; Maiaie filius se ipse magistrum fidibus canendi ei offert et fratris lyraeque praestantiam canit. Tunc boves et flagellum pro lyra accipit, quam Apollo confestim digitis pulsat, suavi voce canens. Dum boves per prata pascunt uterque deus in Olympum redit ad Iovem, qui e concordia magnum percipit gaudium. — Invenit autem Mercurius fistulam longe sonantem. Apollo timens ne deus astutissimus sibi auferat lyram et arcum, fratrem eo adducit, ut nunquam quae Apollinis sint, se sublaturum esse promittat. Quibus precibus Mercurius libenter obsecutus summam fratris laetitiam commovet, qui, ut probet, quantopere Mercurium adamet, ei virgam felicitatis et divitiarum auream tradit; divinationem vero, quam ille expetierat, denegat, scilicet a

Iove sibi ipsi datam, neque omnino magni aestimandam. Sed ne futurarum rerum cognitione omni careat Thrias, educatrices suas, Mercurio assignat, quae Parnassum habitant et si mel suxerint, futuram hominum sortem aperiunt. Una cum Thriis ei curam boum, equorum, mulorum, canum, denique *ψυχαιωγίαν* committit. Amicitiae vinculis inter se coniuncti sunt Apollo et Mercurius; hic inter deos et homines versatus adiutor neque non fraudator per noctes. Finitur hymnus clausula hymnographorum usitatissima (v. 580.)

Fabulam si quis accuratius perlustraverit tres in partes, in lyrae inventionem, boum furtum et munerum Apollinis ad Mercurium translationem dividendam esse non negabit. Uberius poeta narrationem de bubus furto abactis tractat, quae plus carminis dimidium complectitur (v. 62 — v. 408). ita ut iure quodam dixeris, poetam omnino sibi proposuisse hanc Mercurii actionem scilicet admiratione dignissimam uno poemate celebrare, intertextis vero mythis, qui obiter quasi et summatim totam, ut ita dicam, Mercurii mythologiam comprehenderent. Quod si verum esset, hymnus sane a reliquis hymnis Homericis longe distaret, quippe qui ad unum omnes unam tantum dei actionem singulari poemate expriment, nam natura atque indoles hymnorum Homericorum positae sunt in argumenti unitate, „ita ut et causas cuiusque rei expositas habeas et actionem incipere, progressus sumere et ad finem perducere velut sub oculis ipse tuis videas.”¹⁾ Interpretes ut carminis nostri ab aliis hymnis Homericis diversitatem et cum Callimacheis similitudinem tollerent hymnoque inter ea carmina, quae proprie hoc vocabulo appellantur, locum servarent, unitatem alii aliter ex argumento repetere studuerunt, neque supervacaneum videtur, id quod illi hanc in rem disserue-

¹⁾ Verba sunt Mathiaei, l. l. p. 8. —

runt, breviter afferre et quod ipse iudico de carminis integritate addere. — Matthiaeus, qui ut infra videbimus, carmen ad tertiam fere partem reduxit, hanc deprompsit sententiam: ¹⁾ „Quae res vel primum legenti dubitationem de carminis integritate iniicere debet, est argumenti mira varietas. Quum enim Homerici hymni eo inprimis a Callimacheis differant, quod in iis una tantum dei actio celebratur, qua de re epici illi nominati sunt, at in poetae Alexandrini carminibus, si hymnum in Delium excipias, qui epici generis est, non res aliqua singularis a deo gesta, sed laudes eius summatim et ita ut capita tantum attingantur, intertextis mythis episodiorum loco exponuntur, hic contra in Mercurium hymnus omnium fere de deo mythorum contextum quendam ac cyclum, qualem Apollodori narratio (III, 10, 2) exhibet, complectitur adeoque actionis unitatem, quam vocant, habet nullam; nam ea demum est una actio, quae unum ac certum finem sibi propositum habet.“ Cui assentitur Grevius, qui aliorum sententiis examinatis non dubitat, quin carmen, quemadmodum vulgo legitur, nihil sit nisi complexus et farrago fabularum, quae de Mercurio traduntur, fere omnium. (cfr. Grev. l. l. p. 14). Ilgenius in edit. hymn. p. 355 actionem, quae carmine celebratur, paucis verbis hoc modo adumbrat: „Dolus Mercurii in acquirendis honoribus.“ Groddeckius poetam sibi proposuisse putat Mercurii natalitia praedicare; Frankius poetam id egisse, ut quae recens natus Mercurius callide astuteque fecisset, cum laude narraret.“ Baumeisterus denique, nostrum hymnum cum ceteris qui feruntur Homericis comparans, in eo, ut in comoedia, res laxioribus vinculis circum scriptas esse contendit, ita ut poeta aliquoties consulto expectationem fallat, non raro diversa et contraria inter se componat et iocum serio misceat. Hinc

¹⁾ cfr. l. l. p. 35. —

summam carminis in boum furto positam esse recte negat; immo poetae consilium fuisse, ut munera Apollinis omnia etiam ad Mercurium delata esse doceret, ita quidem, ut deus agrestis et popularis locum honoratiorem fratri augustiori consederet." (Cfr. Baumeist. l. l. p. 186.) Sed si Baumeisterus hanc primariam poetae fuisse putat sententiam, primum carminis parti extremae, quae ad formam germanam variis de causis iustas dubitationes movet, quas infra proferemus, nimium momentum tribuit, deinde neque intelligitur episodium de lyrae inventione neque apparet, quoniam consilio narratio illa de boum furto amplissima et artificiosa, quae ad dictionem perspicuam et descriptionem vividam tota fere Homericam sapit, a poeta confecta sit, praesertim quum maiorem carminis partem efficiat. Summam carminis non in boum furto positam esse concedo, nam versus 13 — 16, inprimis versus 15, haud dubie spectant ad carmen amplius et latius patens quam ad nos pervenit. Equidem puto poetam nihil aliud sibi proposuisse nisi ut illustraret et celebraret Mercurii sollertiam ingenium astutiam, quibus adiutus deus inde a cunis divitias auctoritatem honores sibi parat. Hoc consilium poetae fuisse ex multis singulis hymni locis cognosci potest. Quanta sollertia Mercurius lyram conficit, ignem e ramis ferro fricatis elicit et boum mactatarum pelles super rupes consternit! Quot et quam praeclara dona ab Apolline pro lyra accipit; denique quam callide boves fratris abigit et vestigiis suis confusis infantis inbecillitatem et integritatem simulat? Ceterum poeta ipse hoc consilium dilucidis verbis indicare mihi videtur versibus 15 et 16:

. ὅς τὰχ' ἐμελλεν
ἀμφαντεῖν κλυτὰ ἔργα μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν.

Quod si recte disputavimus carminis actionem unitariam latissimis quidem finibus circumscriptam non desideraveris,

qua de causa hymno inter reliquos hymnos Homericos iustum locum concedere nullus dubito. —

De partibus interpolatis.

Proposuimus nobis ex magno numero quae inveniuntur in hoc hymno corruptelarum praecipue interpolationes tractare quas non paucas esse constat. Sed in disquisitione carminis librariorum inscitia et temporum iniquitate corrupti, Viri Docti diversam inierunt rationem; alii enim, ut Matthiaeus, nulla fere ratione habita artis criticae hymni partes quasi persecant circumciduntque, ita ut quae minime offendunt narrationes inepta additamenta esse arbitrentur; alii sibi proposuerunt carmen corruptum, quum lacunas fingunt, medica manu adiuvare redigereque in pristinam formam. Inter utrosque mediam persequi viam optimum habemus, nam genuina et spuria ita inter se mixta sunt, ut munus difficillimum exquirendi quae vera carminis fuerit forma caute et moderate absolvendum neque praeiudicatis opinionibus concedendum sit. Praeclare in nostrum hymnum quadrant quae Ruhnkenius in Epist. ait de interpolationibus:!) „Sit carmen aliquod, quamvis multis ingenii doctrinaeque luminibus frequentatum: simulatque interpolatur languidum fit et friget, divini ingenii cursu velut retardato.“ —

Versus 17 — 19 haud dubie interpolatoris manum produnt, quippe quorum cum sequentibus nexus sit nullus (non potuit eadem res, boum furtum, adjungi verbis *ὅς καὶ κ. τ. λ.*); Versus 17 vulgo legitur: „ἤϊός γε γεινῶς μέσσω ἡμῶν ἐγμιθάριζεν. Schneidewinus, quem verbum inusitatum *ἐγμιθάριζεν* vexavit, scripsit *μεισσημάτιος κειθάριζεν*, qua mutatione num quid profecerit dubito, quoniam etiam vocabulum *μεισσημάτιος* nullo loco reperitur. Si quis omnino hunc

!) Cfr. Ruhnk. Opusc. vol II, p. 572.

versum retinere vult, ei suadeo legendum *μέσση ἤματι εὖ
κιδάριζεν* ¹⁾ ex mea quidem sententia hi tres versus e con-
textu reiiciendi sunt, quum prorsus supervacanei sint et
grammatici in sententiis variandis sedulitatem dilucide os-
tendant. —

Matthiaeus et Hermannus, quos nuperrime secutus est
Grevius, ea quae narrantur de lyra e testudinis putamine
inventae deleri volunt, primum quod argumento a se ipsis
constituto accomodare nequeunt, „tum quia, ut ait
Matthiaeus, dictionem habent a prooemio et iis locis, qui
ad boum furtum spectant, nimis discrepantem quippe coac-
tam molestam languidam.“ Sed nullo modo adiuvamur
iis quae Mathiaeus hoc loco dixit, quippe qui, quamvis ver-
bis plane dilucideque dictionem discrepantem esse exprimat,
tamen non disserendo et probando singula reprehendat. Quae
spectant ad compositionem et sermonis concinnitatem hunc
hymnum valde discrepare ab iis quibus Apollo celebratur
nemo est quin videat; nam quum dei illius potentissimi et
augustissimi res austere et graviter peragatur, nostri hymni
poeta ratione non minus iocosa quam rei accommodata artes
et dolos dei vix nati enarravit. Qui autem e versibus
nonnullis interpolatis, qui cum in toto hymno tum hic quo-
que inveniuntur, prorsus totum locum pro spurio habet,
iudicio hic uti mihi videtur temerario ac nimis praepropero.
Verisimillimum est, poetam postquam dei genus ac stirpem
exposuit, nomen Mercurii explicare voluisse; qua in re ob-
venit ei vocabutum *ἔμυαῖον* quod rem prospere inventam
significat (*εὐρύχημα*); Mercurius igitur ut furtum facturus
antro exiit, testudinem fortuna quasi forte invenit exque
eius testa lyram sibi fecit, qua postea ab Apolline honores
et magnas divitias sibi pararet. —

¹⁾ Hanc coniecturam ingeniosam Bergkii V. D. mecum commu-
nicavit. —

In versu 24 narratur Mercurius, qui antro egressus Apollinis boves requisiturus est, invenisse testudinem: „ένθα χέλυν εύρων έκτήσατο μυρίον ὄλβον,“ quo versu poetam alludere praeclaris donis, quae Mercurius postero tempore ab Apolline accipit, Schneidewinus negat quum elocutio „μυρίον ὄλβον“ nimis obscura et lata sit. Sed id ipsum magnam poetae artem dilucide prodit, nam si hoc loco narrasset, quod infra explicare in animo habuit, natura narrationis epicae ipsa pervertetur, quippe quae saepenumero modo latenter attingere soleat futura. Errant sane qui hic cogitent de Apollinis verbis in versu 529: „αὐτὰρ ἔπειτα Ὀλβον καὶ πλούτου δώσω περιχάλλεα ῥαβδόν“, quum, ut infra demonstrabimus, tota illa carminis pars suspecta, ne dicam adulterina, sit. Quid autem obstat verba „μυρίον ὄλβον“ referre ad boum donum, quas Mercurius pro lyra accipit (v. 503sq.); tantus enim boum grex a vetere poeta summo iure pro divitiis habitus est. Hermannus in praefat. hymnorum hac in ratione poeta perversitatem quandam inesse dicit, quum boves quaerat Mercurius et tamen eas non quaerit, sed citharam facit; etiam offendit, quod poeta de lyra inventa tali modo narrat eumque aliquando aliter hac de re dicere coepisse putat. Equidem nescio, quomodo poeta aptius ad lyrae inventionem transire potuerit, quam si Mercurium testudine sublata et necata statim e testa lyram sibi conficientem finxit, igiturque poetam epicum recte sic narrasse censeo; aliter sane Apollodorus rem retulit, qui eandem fere de Mercurius narrationem tradidit atque poeta noster, excepto excursu de inventa cithara, quam Apollodorus a Mercurio post boves abactas inventam facit, sine dubio quia tunc demum, dualibus bubus mactatis, intelligi potest, unde ille chordas sumpserit.¹⁾ Quae nar-

¹⁾ Cf. Apoll. III, 10, 2: „(Ἐρωτῆς) ταχέως εἰς Κολλίην, ἄγχο καὶ ἐφύο-
κει πρὸ τοῦ ἀντρον νεμομένην χελώνην. Ταύτην ἐκαθάρας εἰς τὸ κῆτις χορ-
δας ἰντείνας ἐξ ὧν ἴθυσσε βοῶν καὶ ἐργασάμενος λύραν εἶρε καὶ πικ-
τρον.“

ratio adeo a simplicitate epici poetae abhorret, ut eam emendatam et Apollodori ipsius consilio perpolitam esse probabile videtur esse, quod vero, ut Hermannus recte dixit, non de tota Apollodori narratione contendere potest, quippe qui, quomodo hunc hymnum praecipue respexerit, etiam alios auctores secutus sit. Discrimina enim satis magna inter narrationem Apollodori et hymnographi sunt haec: primum Apollodorus plectri inventionem addit; porro Mercurium carnes duarum boum mactatarum partim comedentem partim cremantem fingit; deinde Apollinem non a sene Onchestio sed a Pyliis de furto certiore fieri et claris verbis boves pro lyra mutatas esse narrat; denique mythographus Mercurium non Thrias sed divinationem per sortes (*τὴν διὰ τῶν ψηφῶν μαντικὴν*) accepisse tradit. —

Graviores haesitationes excitavit versus 25, quem iam Ruhnkenius e lemmate marginali ortum iudicavit. Schneidewinus duos versus 24 et 25 in unum coalescere iubet; dicit in „Philologo” III. p. 662: „In die Verdammung des letzten Verses kann ich nicht ohne Weiteres einstimmen, denn *χέλυν τεκτῆνατ' αἰοιδόν* klingt ebenso aecht wie *ἐκτῆσατο μυρίον ὄλβον* einem waessrigen Versflicke gleich sieht.“ Duos igitur hos versus ita comprehendit: „*ἐνθα χέλυν εὐρώων πρώτος τεκτῆνατ' αἰοιδόν*,” quod vero ingeniosius quam veri similis est; neque minus probabilitate caret sententia Baumeisteri, verba versus 25 a grammatico satis bene litterato interposita esse e Pausaniae l. 7, c. 5, 4 de Olene Lycio ex oraculo Boeus loquentis: „*πρώτος δ' ἀρχαίων ἐπέων τεκτῆνατ' αἰοιδάν*.” Immo uterque versus genuinus est censendus, id quod statim apparet, si post versum 24 interpunxeris. ita ut sententiarum series claudatur: Mercurius antro furtium egressus testudinem invenit. In sequenti deinde versu poeta praedicit, puerum ex illa lyram sibi confecisse (vel confecturum esse), quod uberius descri-

bere aggreditur, postquam paucis versibus, parentheseos signo includendis (v. 26. ἢ *ρά οἱ* usque ad v. 28: *σαῦλα ποσὶν βάλουσα*) ubi Mercurius testudinem invenerit narravit.

Versum 35 Groddeckius textu removit scilicet ortum e mala grammaticorum in variandis poetarum sententiis sedulitate, rationem habens versus 30: „*σύμβολον ἔδη μοι μέγ' ὀνήσιμον*“ et vers. 34: „*σὺ δέ με πρότιστον ὀνήσεις.*“ Sed hoc ipso loco aptissimum mihi videtur quam plurimis verbis quantam utilitatem Mercurius ex inventa lyra percepturus sit exprimere. Ceterum codicum lectio „*οὐδ' ἀποτιμήσω*“ sine dubio falsa et corrupta est; postulatur notio spernendi, non aestimandi, et quanquam uno loco (sed uno tantum! in Callimach. fragm. 103, 4) *ἀπότιμος* idem est atque *ἀτιμος*, plerumque tamen illud verbum significat aestimare, qua de causa non dubito commutationi sane facili aptaeque in „*ἀπατιμήσω*“ assentiri. Ilgenius autem ultimas quoque verbi litteras mutavit, ut ad *ὑφελος*, quod statim praecedit, referri posset, et scripsit „*οὐδ' ἀπατιμητον*,“ quia quae sequuntur *σὺ δέ με πρότιστον ὀνήσεις* necessario ante se requirunt quidpiam, quod non tam in testudinem ipsam cadat, quam in id quod Mercurio esse debet.“ At tam concinnum sermonem potius a scriptore prosaico quam epico exspectamus; ut versum retineamus satis est scripsisse *ἀπατιμήσω* (cfr. Hom. Iliad. v, 113), quod idem est atque *ἀτιμήσω*.

In versu 36 haesit Matthiaeus, Ruhnkenii coniecturam *ἔχμα* pro *αἰχμά* recipiens, deinde vero versum nullo modo cum vss. 37 et 38 cohaerere contendit, sive generaliter illa verba enunciata essent sive ad rem praesentem restricta et de testudine dicta. Eiecto igitur hoc versu sensum loci ita exhibet: Age vero in domum te asportabo et in usus meos convertam (v. 34. 35.); duplicem enim tui usum video, nam viva incantationibus arcendis inservies,¹⁾ at mortua ad canendum

¹⁾ Cfr. Plin. H. N. XXXII. 4, i „Terrestrium testudinum carnes

apta fies.“ Haec vero orationis perpetuitas versu 36 minime interrumpitur. Si quis omnes quibus carere possumus versus textu eiiciendos censet, poetae nostri ingenium se parum perspexisse probat, nam multi sane reperiuntur loci, in quibus quis primo obtutu offendere potest. Hunc versum integrum legimus in Hesiodi Opp. et D. v. 365, quo loco poeta Persae fratri iustam liberalitatem et parsimoniam commendat (v. 352 — 362); post has exhortationes librarius versum illum, qui in proverbium abiit, inepte inseruit, neque consentio cum iis interpretibus, qui eum ex Hesiodo sumpsum et in parodiae quasi usum navatum esse iudicarunt. Immo, nostro loco versus, iocosam quandam hilaritatem redolens, recte se habet et a poeta eo sensu adhibetur: „Nonne scis quod aliquando dixerit quispiam, melius esse domi manere quam foris?“ Velim attendas ad grammatici adnotationem marginalem in cod. Paris C: „σημείωσαι τὸν Ἡσίοδον κεκλορότα τὸν στίχον,“ quae verba quanquam non sensu proprio intelligenda, tamen probant grammaticum quoque hunc versum Hesiodeum pro spurio habuisse. —

Mercurius testudinem de terra sublatam domumque asportatam interficit, ut extemplo lyram sibi conficiat. Quod sibi proposuit statim ad finem perducit tanta celeritate:

„ὡς δ' ὅπ' ὀκνὸν ῥόημα διὰ στέροιο περήση
 „ἄνερος, ὅτε θαυμαῖ ἐπιστροφῶσι μερίμναι,“

sed huic comparationi asseritur ex vulgata lectione:

„ἢ ὅτε ¹⁾ δειηθῶσιν ἀπ' ὀφθαλμῶν ἀμαρυγαί,“

in qua plerique editores iure offenderunt, quum duae comparationes iuxta positae aut prorsus aliter inter se coniungantur aut interpolatorum manum expertae sint; conferas,

suffitionibus propriae magicisque rebus refutandis et contra venena salutare produntur.

¹⁾ Sic Moscov; reliqui codices *αἱ ὅτε* vel *ὡς ὅτε*. Hermannus *ὡς δ' ὅτε*.

ut exemplum afferam, duas comparationes, in versu 147, qui vero primum valde suspectus est, deinde comparationes, obiter quasi et paucis verbis expressas continet, quum nostro loco uberius per nonnullos versus amplificata exstat. Recte hunc locum sanasse mihi videtur Baumeisterus, qui facili emendatione duas comparationes in unam sic coartavit:

„αἰ δέ τε δινηθῶσιν ἀπ' ὀφθαλμῶν ἀμαρυγῶν.“

Conferendi sunt loci ex Iliad. lib. π, v. 792:

„στῆ δ' ὄπιθε, πλῆξεν δὲ μετὰφρονον εἰρέε τ' ἦμω
„χειρὶ καταπρηεῖ, στρεφεδίγηθεν δέ οἱ ὄσσε,“

et H. q, v. 680:

„ὡς τότε σοί, Μενέλαε διοτρεφέε, ὄσσε φαινωῖ
πάντοσε δινεΐσθην πόλειον κατὰ ἔθνος ἑταίρων,“

quibus locis Ilgenius apte attulit Apollon. Arg. T, 1018: τῆς δ' ἀμαρυγῶς ὀφθαλμῶν ἠρπαξεν“ et Eurip. Orest. 835: „δινεΐειν βλεφάρους.“

Postquam lyram confecit Mercurius se contulit Pieriam, ubi boves immortales tenebantur in stabulo, quarum quinquaginta per prata pascentes secum duxit. Versus qui sequuntur 75 — 86 multas et magnas excitarunt dubitationes, prae ceteris Hermanni, qui quae de bubus retro euntibus narrentur interpolatoris manu addita esse uberius probare studet in praefatione hymnorum p. 49 — 56. Verba tradita sive genuina sive interpolata sunt ita intelligo: Mercurius boves per arenam abegit retrogradas et ultro citroque, capita ipsi obvertentes (v. 211); ipse retro cessit, sandalis cum vimento artificioso mutatis, ut confusa hoc modo vestigia Apollinem tutius fallerent. Sed primum: num putabimus Apollinem hac fraude decipi posse? Sive boves retrorsum sive ultro citroque abactae sunt tamen Apollini facili fuit vestigia persequi bovesque requirere, nisi vestigia ipsa deleta essent. Deinde: quomodo tibi fingis Mercurium retro euntem boves et ipsas retro cedentes abe-

gisse capitibus sibi obversis? Recte Frankius dicit, illos versus, quibus hoc commentum contineretur, ita comparatos esse, ut ab eo poeta cui reliquum carmen debemus, non possint scripti esse. Sed nihil offensionis praebere verba „ἔχρη' ἀποστρέψας,“ neque omnino totum illum versum ei non concedo. Hermannus quidem haec verba allato versu ex Hom. Iliad χ, 197 sic explicavit, ut Mercurius boves huc illuc per arenam egerit aversis vestigiis i. e. ut vestigia alio ducere viderentur, quam quo boves abiissent; quae vero interpretatio mihi non dubitanti, quin Apollo quamvis maximis ambagibus boves abactae sint, tamen vestigia boum errantium ad finem usque persequi potuerit, non, satis facit. Mercurius non furtum Apollinem celare potest sed furem; itaque sandala induit, ne quae pedum vestigia relinquat. Animadvertit eum prope Onchestum senex boves „ἐπιστροφάδην“ (v. 210) abigentem; deus ei minatur, ne quae viderit cuiquam prodatur; (v. 92). Apollinem vero bubus retrorsum vel ultro citroque abactis recta via non deerrasse, iam ex eo apparet, quod, quamquam non auguratus, eandem ac Mercurius viam ingreditur, et a sene Onchestio certior fit, puerum baculum manu tenentem boves „ἐπιστροφάδην“ abegisse. Auguratus Apollo fratrem fuisse furem comperit. Quid igitur Mercurium iuvenit boves retro ducere non perspicuum est; etenim Apollini boum furtum manifestum fieri per se liquet; quid tunc facilius est quam vestigia boum etiam retro cedentium reperire? Dolus a Mercurio factus non necessarius videtur; satis erat boves recta via ad Alpheum abegisse suaque ipsius vestigia, ut fecit, detersisse. (Conf. v. 222 et 223:

„βήματα δούτ' ἀνδρός; τάδε γίνεται οὔτε γυναικός
 Οὔτε λύκων πολλῶν οὔτ' ἄρκτων οὔτε λεόντων,“

Tota illa narratio mihi valde suspecta videtur; attamen quin hunc locum subditicium habeam a me impetrare

non possum, quum alias in carmine inveniantur versus huc pertinentes qui minime interpolationis prae se ferunt speciem et ab Hermanno nimis audacter pro spuriiis habiti sunt. Placet mihi sententia Frankii, qui eus versus interiisse, censet, quibus poeta illam rem descriperat pro iisque librarium id quod narrationis ordinem postulare intellexisset suo Marte restituisse“, i. e. versus 77 et 78, qui sane prae ceteris offensionem movent non modo ab orationem vix ferendam, sed etiam quia verba „κατὰ δ' ἔμπαλιν ἀντὸς ἔβαινε“ prorsus repugnant versu 211. Frankio assensus est Baumeisterus, qui non dubitavit, duos illos versus textu relegare. Recte; qualis enim dictio est „τὰς πρόσθεν ὀπίσσω ὀπίσθεν ποιεῖν.“¹⁾ Librarius Moscov. vitiosam hanc scripturam sensisse videtur et pro πρόσθεν scripsit πρώτως, quod quidem aliquando melius tamen dici non potest. Eiectis igitur his versibus non modo locus difficillimus sanatur sed vel oratio est elegantior et digna vetere poeta. Verba „δολῆς δ' οὐ λήθετο τέχνης“ referenda sunt ad calceamenta mirifica, quae Mercurius e virgultis sibi fecit. — Hermannus etiam versum 79 relegavit quippe cum codicum lectio „σάνδαλα δ' αὐτίκ' ἔριψεν ἐπὶ ψαμιάθους ἀλίησιν“ corrupta esset. Et profecto: si legimus ἔριψεν versus 79 nullo modo cum sequenti cohaeret, itaque mutandus videtur ita ut protasis sit eorum quae sequuntur verborum. Idcirco Mathiaeus coniecit ἔραψεν, quod vero probare non possumus quum „ἐπὶ ψαμιάθους ἀλίησιν“ otiosa essent. Vitium quaerendum esse in voce „αὐτίκα“ bene declaravit Schneidewinus qui legit „σάνδαλα δ' εὐτ' ἔριψεν“ ratione habita lectionis codicis Florentini, qui praebet: σάνδαλα ἔριψεν, unde Schneidewinus recte collegit, libri, quem huius codicis scriptor secutus est, lectionem non

¹⁾ Non praetermitto Prelleri in Mythol. gr. vol. I, p. 300 annot. 1. explicationem monstruosam: „nachdem er ihnen die Vorderklauen hinten und die hintern vorne gesetzt hatte.“

perspicuam fuisse. Stollio displicet de, quia post verba *δολίης δ' οὐλήθητο τέχνης*, universe ea indicantia, quae in sequentibus accuratius explicantur requiritur asyndeton; scribere mavult: „*σάνδαλα, κάλ' εἶτ' ἔριψεν. κ. τ. λ.*“, quae vero scriptura a vulgata nimis abhorret; num *σάνδαλα κάλα* eodem iura dici possit atque *κάλα πέδιλα* dubito; huius structurae nullum invenitur exemplum. Legimus igitur totum locum ita:

„*Πλανοδίας δ' ἤλανε διὰ ψαμαθοῦδα χῶρον
ἔχνη' ἀποστρέψας δολίης δ' οὐ λήθητο τέχνης
σάνδαλα δ' εἶτ' ἔριψεν ἐπὶ ψαμάθοις ἀλήθην
ἄφραστ' ἢ δ' ἀνόντα διέπλεκε θαύματα ἔργα.*“

Restat ut verba „*πλανοδίας — ἔχνη' ἀποστρέψας* interpretemur. Iam supra diximus haec verba non eiicienda esse quippe ad quae nonnulli versus sine dubio genuini spectent, prae ceteris vers. 221: *ἀλλὰ πάλιν τέτραπται ἐς ἀσφοδελὸν λεμιῶνα*“ unde apparet Mercurium certe boves retrorsum abegisse. Hermannus hunc versum spurium habuit quum sibi oratio senis Onchestii inepta videretur, qui si tantum miraculum, boves retro euntes vidisset vix tam negligenter de ea re verba fecisset. Sed hanc causam vanam esse nuper Baumeisterus ostendit, qui contrario ea callide et cunctanter a sene prolata esse dicit e quibus Apollo augurat quid factum sit; nam ad hanc rem sine dubio spectant verba versus 213: „*οἰωνὸν δ' ἐνόει τανυσίπτερον*“, quae non de avi quadam sed de quovis ominis genere dicta sunt. Immo potius versus 221 minime suppositivus habendus est, et quum arctissime ad nostrum locum spectet nihil restat nisi ut locum qualem nos legere volumus, interpretemur ita, ut Mercurius directa via boves retro euntes usque ad Alpheum abegerit. Sane quid Mercurium ad hunc dolum commoverit mihi non perspicuum est.

Mercurium senex prope Onchestum in sepe ducenda occupatus animadvertit baculum manu tenentem bovesque

prae se abigentem. Deus metuens, ne Apollini prodatur, a sene silentium postulat sed verbis tam parum cohaerentibus (v. 90 — 93), ut locus iustas dubitationes moveat. Tanta admonitionis brevitatis in carmine epico, quod omnes res iusto ordine proferre et quasi sub audientium oculos subiicere debet, ferri non potest, nisi cum Groddeckio deum vultu et gestibus sermonem compensavisse tibi persuadeas. Nimis audacter Matthiaeus locum ab interpolatore additum esse censet, „aegre ferenti, quod fabula de Batto ommissa sit eamque hoc loco inserere conanti neglectis iis quae sola mytho isti et cohaerentiam cum reliquis et lucem afferunt.“ Lacunam post versum 91 statuendam esse recte putant Schneidewinus et Baumeisterus, nam duo posteriores versus sermonis Mercurii quum non cohaerent cum prioribus tum ipsi magno vitio laborant, id quod primus, quantum scio, Schopenius in „Diorthoticon in varios scriptores, part. I Bonn 1846“ edita bene monuit et codicis Ambrosiani lectio confirmavit, qui in versu 93 praebet: „ὅτε μιγέτι καταβλάπτῃ, quod Schopenius in ὅτε μὴ καὶ τι καταβλάπτῃ mutavit, sed inter vocabula ὅτε et sequentia lacunam esse ingeniose suspicatur, ita ut loci habitus sit:

καὶ σιγᾶν, ὅτε
 μὴ καὶ τι καταβλάπτῃ τὸ εὖν αὐτοῦ.

Sensus verborum quae interciderunt, fuisse videtur tace, nam si Apollini vel alii quod tu vidisti prodidisti, caveas ne cetera. *Μὴ καὶ* post verba metuendi et monendi saepe numero invenitur ad horum verborum notionem augendam cfr. Sophocli. Philoct. v. 13: *μὴ καὶ μάθῃ μ' ἤκοντ'*; Antig. v. 280: „παῦσαι, πρὶν ὀργῆς καὶ με μεστῶσαι λέγων;“ Theocri. Idyll. XXVII, 30: „ἀλλὰ τεκέϊν τρομέω, μὴ καὶ χροῖα καλὸν ὀλέσω.“

Neque versus 92 interpolationis suspicione vacat quoniam cum praecedentibus non cohaeret. Schmittius versibus 91 et 92 in unum contractis sic legit:

„αἶ κεν ἰδὼν μὴ ἰδὼν εἶης καὶ κωφὸς ἀκούσας
 „καὶ σιγῶν τότε μὴ τι καταβλάπτῃ τὸ σὸν αὐτοῦ,“

quae lectio maxime mihi probata esset, nisi duos hos versus in unum coalescere iussisset, quod modo gravissimis singulorum verborum mutationibus facere potuit, quas vero codices excludunt. Nihilominus ad versum 92 emendandum Schmittius multum profecit, etsi lacunam ante hunc versum esse tunc quoque negare non possumus. Quae verba post versum 91 intercepta sint vix suspicari licet; sed quaecunque fuerunt, id probabilissimum mihi videtur, poetam perexisse ut Schmittius vult, itaque totum locum sic lego:

„ὦ γέρον, ὅτε φητὰ σκάπτεις ἐπιτάμπλος ὄμιον
 „ἢ πολιοιήσεις, εἴτ' ἂν τάδε πάντα φέρῃσι,
 * * * * * (Lacuna.)

αἶ κεν ἰδὼν μὴ ἰδὼν εἶης καὶ κωφὸς ἀκούσας
 καὶ σιγῶν, ὅτε
 μὴ καὶ τι καταβλάπτῃ τὸ σὸν αὐτοῦ,“

Versus 99 et 100 magna difficultate laborant, quam Schneidewinus primus vidit. Luna enim dici non potest quinto mensis die (Mercurius *τεῖράδι ἰσταμένον* natus est) primo diluculo demum in speculam ascendisse, itaque Baumeisterus versus aliunde illatos putat, Bergkii Viri Ill. sententiam secutus, eos ante v. 87 collocandos esse, ubi sane sensum aptum et loco accommodatum praebent quum et diligentia senis illustraretur et discerni potuisse boves nocte abactas esset credibile (Baumeist. p. 204). Mathiaeus haesit quidem in nostro loco, sed errore ductus versus 97 et 98 spurios habet, „quum dictio pro reliqui carminis simplicitate sit paullo *φορτικωτέρα*.“ Sed poeta non nisi epico more descripsit vel adumbravit occasum solis et noctem irrupentem, quod quum apud Homerum saepe numero legamus minime offensionem praebet; conferamus Hom. Iliad. v. 251. — 253:

„ἀλλ' ἴομεν μάλα γὰρ νύξ ἀνεται, ἔγγυθι δ' ἠώς,
 „ἄστρα δὲ δὴ προβέβηκε παρώχην δὲ πλείων νύξ
 „ἄστρα δὲ δὴ προβέβηκε παρώχην δὲ πλείων νύξ

„τῶν δύο μοιράων, τριτάτη δ' ἔτι μοῖρα ἄλειπται.“

qui loco nostro tam similis est, ut eum poetae nostri animo obvertisse iure quodam suspicari liceat. De Luna Palantis filia conf. Preller Myth. gr. p. 346; O. Mueller, in Gerhardi „Studiis hyperbor. — rom. p. 285. —

Mercurius ad Alpheum pervenit ibique boves ad pabulum et aquam ductas in stabulum agit; (v. 106: „καὶ τὰς μὲν συνέλασσαν ἐς αὖλιον“). Deinde ignem non ut mos erat pastorum veterum duobus lignis aridis ad se invicem fricatis elicit, ¹⁾ sed unum tantum ramum decorticat, quo vero ignem incendi posse nemini persuasum erit. Recte igitur Baumeisterus post verba ἄρμενον ἐν παλάμῃ notionem rei fricandae interceptam esse suspicans versum 110 in duos mancos divisit. — Igne incenso Mercurius duas boves e grege sumptas mactat: cfr. v. 118:

„ἀμφοτέρως δ' ἔπι νότα χαμαὶ βάλε φρυσιοῦσας
ἐγκλίτων δ' ἐκλίωδε δι' αἰῶνος τετορ' σας.“

Quod his versibus Viri Docti offēderunt mirum non est; nam tota mactandi actio, ab Homero uberius et explanatius descripta, hic prorsus desideratur, vel uno tantum eoque ineptissimo versu poeta ea defungitur. Porro versus 119 valde corruptus exstat; cod. Moscov. exhibet ἐκκρίνας, libri ABC (codd. Parisini) δι' αἰῶνος, libri ABCM τετορ' σας. Et quid valet ἐκλίωδε, quum Mercurius boves iam humi prostraverit? Quomodo in tergum coniectas interficere potest exterebrans medullam spinalem? Optimum videtur versum,

¹⁾ Cfr. Senec. Quaest. nat. II. 22: Videamus quem admodum apud nos fieri solet ignis. Duobus modis: uno, si excitatur, sicut ex lapide percusso; altero, si attritu invenitur, sicut quum duo ligna inter se diutius trita sunt. Non omnis tibi materia praetabit, sed idonea eliciendis ignibus. Sicut laurus, hederæ et alia in hunc usum nota pastoribus.“ Cfr. etiam Apollon Arg. A, 1184 sqe.

vix medica manu reficiendum, contextu eiicere et post ver-
sum 118 lacunam statuere, qua quae de mactatione ipsa
sine dubio dicta erant, significetur; quanta vero sit nullo
pacto explorari potest. Postquam Mercurius duas boves
mactavit ante antrum in rupe coria pandit carnesque in duo-
decim partes divisas (ratione habita duodecim deorum) de
summo antro suspendet; deinde boum capitibus pedibusque
crematis cineres exstinguit et celeriter furtimque Cyllenen
revertitur, domumque ingressus in cunis decumbit. Nemo
non hunc locum gravi vitio laborare intelligit, nam versus
146 et 147 prorsus repugnant duobus qui sequuntur: illis
dicitur Mercurius domum irrepsisse aurae nebulaeque simi-
lis, his vero antrum petiisse suspenso gradu, ne pedum
crepitum excitaret. Altera narratio expungenda est, ut sen-
tentiae controversae tollantur; nam Mercurius, aurae simi-
lis, cur timet ne pedibus strepitum edat? Et quomodo do-
mum ingressus antrum petere dici potest? His dubitationi-
bus peimotus Hermannus antiquiori poetae modo versus:

„ἰθύσας δ' ἀντρον ἐξίκετο πίονα νηόν
ἦμα ποσὶν προβιβῶν· οὐ γὰρ κτύπεν, ὥσπερ ἐπ' οὐδεῖ.“

attribuendos esse putat, quam lectionem interpolator suo
Marte sic conformavit:

„δοχμῶθεις μεγάροιο διὰ κληῖθρον ἔδυνεν,
ἄρη ὄπωρινῆ ἐναλίγκιος, ἦτε' ὀμίχλη.“

Hermannus hos ipsos versus eiiciendos putavit fortasse
quum offenderet mentione domus pro antro, quod vero ex
mea sententia nihil offensionis praebet, neque Mercurii per fo-
ramen clavis introitus in domum mirus est; conf. Hom. Od.
d, v. 802: „ἔς θάλαμον δ' εἰσῆλθε παρὰ κληῖθος ἱμάντα,“ et
v. 838. Immo vitium quaerendum est in versibus poste-
rioribus, praecipue in versu 148, qui ineptum sensum prae-
bet; praeterea verba *πίονα νηόν* quonam referenda sint nes-
cio; sive coniungimus cum *ἰθύσας* sive cum *ἀντρον* sensus tri-

tus et molestus evadit, neque Schneidewini coniectura „ἀπειρονα σιχρόν“ loco medetur. Itaque Baumeisterum secutus hos versus et 147 et 148 spurios habeo. —

Versus 233 et 234 Mathiaeus ob dictionem frigidam et ieiunam loco abire iubet, „quibus eiectis nihil ad sententiam desideres.“ Etiam hoc loco V. D. probat, se causis gravibus non prolatis nimis celeriter versus eiicere. Offendit in verbis „αὐτὸς Ἀπόλλων“, et Hermannus quoque et Schneidewinus pronomen „αὐτὸς“ ferri non posse contendunt, ille „quis spondeat, inquit, non scripsisse poetam „ἐκατηβόλος ἀργυρότοξος“, quod annotatione Ἀπόλλων in versum illata facile potuit a librariis, quum emendare versum vellet, corrumpi,“ Schneidewinus ei assentitur, sed verba αὐτὸς Ἀπόλλων e versu 151 hunc in locum incidisse suspicatur, quod num aliis probare possit valde dubito. In memoriam sibi revocare debuerunt, Apollinem, qui primum per aera latus est, nube velatus (cfr. v. 227: „ἤϊξεν ἄναξ Διὸς υἱὸς Ἀπόλλων“, et v. 217: „πορφυρέας νεφέλη κεκαλυμμένος εὐρέας ὄμους“) nunc rursus pedibus, sua ipsius forma indutus, in solo praecedere, ita ut αὐτὸς, quemadmodum Baumeisterus locum ex Ov. Met. III, v. 278 laudans recte dicit, esset „in leibhafter Gestalt.“

Maiore iure haeserit quispiam in versu 239

„ὡς Ἐρμῆς Ἐκάεργον ἰδὼν ἀλείπειν ἑαυτὸν,“

nam verba ἀλείπειν ἑαυτὸν, i. e. se ipsum evitavit, omni sensu carent. Matthiaeus censet corruptelam sedem habere in verbo ἀλείπειν, quod Clarkius ad Ἐκάεργον, et ἰδὼν ad ἑαυτὸν refert. Male; nam primum eiusmodi verborum implicata positio inaudita est, tum, quid faciat verbis ἰδὼν ἑαυτὸν ipse nescit; itaque versum spurium iudicat, quippe quem recentioris Graeculi, aliquid ad sensum deesse putantis, peperit in-scitia. In relegando versu cum Clarkio consentit Matthiaeus, neque Baumeisterus quid mutantum sit, utrum ἑαυτὸν an ἀλείπειν diiudicare audeat. Iam in hoc verbo quo saepenumero Ho-

merus utitur (cfr. *κῆρα* aut *θυμὸν ἀλεείναι*) corruptela certe posita non est, at in *ἐαυτόν*. Iccirco Stollius emendavit *ἀλεείναι ἀνακτα*, quod ferri quidem posse non negamus, sed hoc ipso loco et Stollius et reliqui interpretes parum respexerunt versus praecedentes duos, qui primam comparationis partem continent: sicut enim ignis fumo velatur, ut nitorem animadvertere nequeas, ita Mercurius fasciis se involvit. Tertium comparationis positum est in densa velatione, sed huc nulla adhuc emendatio in versu 239 spectat; equidem legendum propono versum:

„ὦ Ἐρμῆς Ἐκάεργον ἰδὼν ἀλεείναι εἴσω,“

quo sensu verbis *εἴσω ἀλεείναι* utitur Apoll. Rhod. III, 650. —

Versus 241 et 242 codices legunt:

„δῆ ῥα νεόλλουτος, προκαλείμενος ἠδυμον ὑπνον
 „ἄγρης εἰνέτεον τε χέλων ὑπὸ μασχάλη εἶχε,“

qui quum corrupti sint, multimodis coniecturis vexati et exagitati sunt, donec Matthiaeus, ut sententias controversas finiret, more consueto locum expunxit. Quae magnam offensionem praebent sunt haec: primum particulam *δῆ* rarissime in initio poni constat; deinde genitivus *ἄγρης* non habet unde pendeat; denique vocabulum *εἰνέτεον* quod modo uno loco apud Callimach. (hymn. in Dian. v. 14), nusquam apud poetas antiquiores reperitur, coniunctum cum voce *χέλων* sensum habet prorsus nullum.¹⁾ Hasce corruptelas deque ingenuitate horum versuum dubitationes ingeniosa Hermanni coniectura removet; legendum suavit *φῆ* pro *δῆ*²⁾ et initio

¹⁾ Vix quisquam probet versionem Ernestii: quippe nuper lotus procurans dulcem somnum (a venatione) recentemque testudinem sub ala tenebat;“ nam quum ipse ad Callim. l. l. doceat vocem *εἰνέτεον* esse „novennem,“ scire velim quo iure sit „recens.“ —

²⁾ Particula *φῆ* pro *δῆ* idem significat atque *ὥς* cfr. Hom. II. β, 144: *φῆ κύματα*. De accentu acuto pro circumflexo disputavit Buttmannus in Lexil. I, 240, qui particulam putat esse correlativam ad *πῆ*.

versus 242; „ἐγρήσσω ἐτέον γε,“ ut sensus totius loci esset: manus pedesque contraxit in breve (v. 240), quasi infans recens lotus, dulcem quidem somnum provocans, vere autem vigilans: testudinem sub axilla tenebat. —

Recenti dolo non deceptus Apollo Mercurium acerbissimis verbis increpat. Sed puer se omnino nihil de bubus abactis comperisse simulat. Verba sunt haec (v. 263 sqe.)

„Οὐκ ἶδον, οὐ πυνθόμην, οὐκ ἄλλον μῦθον ἄκουσα,
 „ὄκ ἂν μὴρύσαιμ', οὐκ ἂν μῆντρον γ' ἀροίμην
 „οὐδέ βοῦν ἔλατῃρι, κραταίῳ φῶτι, ἴοικα.“

Quorum postremum versum Hermannus spurium indicavit, quum „negationibus toties sine copula repetitis aperte prodant rhetoricae elegantiae studium.“ Id negari quidem non potest, sed minime abhorret a poetis, ne ab Homero quidem, quem veteres ipsi rhetoricam invenisse saepe multis modis declarare student (Baumeist. p. 219). Neque providum est ex eo quod Apollo penes Iovem duos priores tantum orationis Mercurii versus repetit (v. 363 — 364) concludere hunc tertium versum interpolatoris manu additum esse: illis duobus versibus Mercurius se nihil de boum furto comperisse dicit; tertio autem versu id quod dixerat gravissima causa effulcit, quam Apollo, ne accusatio irrita fieret, Iovem celavit. Et profecto Mercurius, ut probet se boves non abegisse, argumento utitur hoc: quomodo fiat ut ego heri natus furtum tam difficile commiserim? ¹⁾ Porro, cur Apollo Iovi non retulit, Mercurium iusiurandum quoque se daturum esse promisisse? Certe, quia etiam hoc accusationem magis magisque vanam fecisset, nam peieraturum esse Mercurium quamvis juvenilem nullo modo expectari potuerit. Si vero ille id quod dixerat iureiurando se confir-

¹⁾ Cfr. vss. 376 et 377:

„Αὐτὰρ ἐγὼ χθιζὸς γενόμεν, τὰ δὲ τ'οῖδε καὶ αὐτὸς,
 „Οὔτι βοῦν ἔλατῃρι κραταίῳ φῶτι, ἴοικός.“

matuum esse non pollicitus esset, Apollinis suspicionem sine dubio auxisset; Mercurius autem haud ignorat promissum, nam postea coactus iurare nova fraude se involvit. En, mirifica epici poetae ars, qui quod sibi proposuit astutiam et ingenium Mercurii enarrare scite et accurate persequitur. Itaque poetae consilium non perspicunt, qui versum 256 textu removent; assentior Hermanno, hos versus tam conspicuos esse veteris elegantiae nitore, ut si quidquam in hoc hymno pro antiquissimis habendi sint. —

Locus qui sequitur (vss. 313 — 408) a nonnullis interpretibus ad magnam partem pro spurio habitus est. Narrat poeta utrumque deum postquam ad Iovem pervenerunt, litem suam disceptandam protulisse: primum Apollo planis verbis Mercurium furti arguit (v. 340: „κλέψας δ' ἐκ λειμῶνος ἐμᾶς βοῦς ὄχρει ἑλαύνων“) totamque rem enarrat, praetermissis gravissimis causis, quas Mercurius, ut probaret se furtum non commisisse, supra v. 295 et 274 attulit quasque maximi momenti esse sibi persuasum est, et iusto tempore penes Iovem repetit. Hic vero Mercurio callide palpebranti haud ita magnam fidem habens eum iubet Apollini quo boves abdidit ostendere. Iovis iusso et auctoritati obsequentes ad Alpheum proficiscuntur et Mercurius ex antro boves in lucem producit. Hanc narrationem cuius adumbravimus argumentum poeta qua par est epica diligentia accurate et non numquam verbose exhibuit, neque defuerunt qui hoc illic poetam aliter dixisse mallent. His locis adnumerandi sunt vss. 313 — 321, quibus nonnulli recte offenderunt ob duram et contortam orationem. Quantam negligentem et incultam dictionem tota sententiarum iunctura praebet, quam nemo epicam vel ex familiaritate cotidiana natam opinetur. Versum 313 excipit v. 320, et quae interiacent multum distant a perspicuitate et accurato ordine, nam quum coepisset poeta dicere „ἀντάρ ἐπεὶ τὰ ἕκαστα διαφρήδην ἐρξέειναι“ nemo non exspectat eum sic fere

pergere: ὁ μὲν νημέρτεα φωνήν κ. τ. λ. . . . ὁ δὲ ἦθε-
 λεν ἔξαπατᾶν, sed huic simplicitati interpolator vel librarius
 socors anacoluthum praefert, quo vero miseriorem et ineptio-
 rem conficere certe non potuit. Et quid quaeso poetam
 movit narrare quod iam supra satis superque explicavit.
 Apollinem Mercurio petulanti frustra persuasisse ut, verum
 fateretur? Non dubito 314 — 319 prorsus e textu remo-
 vere non modo ob universum loci habitum, sed etiam ob sin-
 gula verba inepta. Ita Mercurii epitheton *οἰοπόλος* in v.
 314 me vexavit, sive interpretamur „solitariis locis in
 versans (quo sensu semel apud Pindarum epin. Pyth.
 IV, v. 28, numquam in Homeri carminibus exstat, qui
 modo de regionibus dicit *οἰοπόλος*, ut in Iliad. ν, v. 473;
 ρ, 54; τ, 377; ω, 664), sive „ovium custos“, nam ovium
 cura demum infra (v. 570) ei committitur; neutrum ad nos-
 trum locum quadrat. Deinde v. 316 Baumeisterus si quem
 alium a consuetudine epicorum alienum putat, „quippe in
 quo narrationi immisceatur ipsius poetae iudicium, quod
 continetur verbis „ὄν ἀδίκως“. Quum autem a se impe-
 trare non posset versum sine ulla iunctura cum praecedentibus
 positum relegare, coniecit *ἐκδεδαώς* pro *ὄν ἀδίκως*,
 quod autem omnium codd. lectioni obstat neque sententiam
 tritam exturbat; quin etiam taedium movet haec repetitio:
 ille propter boves corripuit Mercurium“, nam quis est qui
 nesciat Apollinem auguratum et paullo post (v. 254 — 259)
 ei minatum esse, sese Mercurium ni furtum fateretur in
 Tartarum deiecturum esse. Verbum *λάζοσθαι*, quod Elms-
 leius Atticorum proprium esse contendit (cfr. Eurip. Her.
 fur. v. 903; Bacch. v. 503) apud Homerum non exstat, qui
 formas habet a *λάζομαι* derivatas, ut in Iliad. β, v. 418;
 δ, v. 357; θ, v. 389. —

Magno deorum risu Apollo et Mercurius in Olympum
 perveniunt a Iove litis disceptationem petituri. Apollo
 quem Iupiter exhortatus est ut prior quid vellet exponeret,

sibi boves a Mercurio furto abactas esse narrat (v. 334 — 364). Sententiarum nexum ipsum bene se habere liquet; Matthiaeus sine ulla causa eo offendit, quod Apollo pueri quidem facinus exposuerit, sed quid a Iove hac in re fieri vellet, addere omiserit; praeterea ei videtur oratio nimis abrupte desinere, ita ut amplius quid desideret. Quae causae imbecilliores sunt quam quibus orationem truncatam et a grammaticis expletam esse probare possit; maioris certe momenti est nimia copia verborum quae dicuntur *ἄπαξ εἰρημέια* aut quae sensu diverso quam alibi inveniuntur: illis adnumeranda sunt *φιλολῆϊος* (v. 335), *κεραϊστής* (v. 336), *λησιμβροτος* (v. 339), *διαπυροπαλάμησεν* (v. 357, coniectura Ilgenii), *ὠμόραζε* (v. 361, ab Ilgenio bene restitutum pro *ὠμόραζε*, (v. 361, ab Ilgenio bene restitutum pro *ὠμόραζε* quod explicari non potest); his autem *κερτόμιος*; (v. 338; cfr. Hes. Op. v. 786) pro forma usitata *κέρτομος*; *ἀλαπαδνός* (v. 334), quod apud Homerum numquam de oratione dicitur; *διατρίβειν κελειθά* (v. 348) „viam emetiri“, quae vero structura minus offensionis praebet, quoniam *τρίβειν ὁδόν* sive *κελειθά* saepius legitur. Tragicorum locutionem sapiunt duo vocabula *στίβος* (v. 352), primum huius vocis exemplum, et *ἀγγή* (v. 368), quae vox in Homeri carminibus splendorum significat, apud hymnographum vero nostrum methaphorice pro oculo exstat. Sed quum nusquam aptus sensus desideretur et rerum series iusto continetur, non habeo quod maneam huius orationis formam aut interpolationem statuo. —

In oratione Mercurii, qui a fratris accusatione se defendere studet, versus 379 — 386 ab interpretibus obelo notati sunt. Subditum habuit locum primus Hermannus, qui quidem de verss. 379 — 382, vel in mediocri carmine vix ferendis, haec dicit: „Sententiae argutae, abruptae, male nexae; oratio non qualem in antiquo poeta expectes; cuiusmodi haec sunt: *ὡς ὄλβιος εἶην, φίλῳ, οἶδα καὶ αὐτός*, non ad praegressa sed ad sequentia relatum quae nihil nisi

quod iam dictum erat, continent. Si quid video, ὡς illud, quò duo versus incipiunt, clare monstrat, in hymno interpolatoris postremos duos versus (383. 384) omissos fuisse“. Quin versus 379 – 381 librarii cuiusdam studio debeamus nullus dubito, sed versum 382 oblitteratum nolim; bene enim cohaeret cum v. 378, et ut illum retineamus praefero verba οἶσθα καὶ αὐτὸς non ad sequentia, ut Hermannus voluit sed ad praecedentia referre: „et amo te vereorque illum, ut tu ipse scis“. Nec non versus 383 aptissimus est, si facili emendatione scripsimus:

„ὡς δ' οὐκ αἰτίος εἰμι μέγαν γ' ἐπιδώσομαι ὄρκον.“

Num vero etiam versus 384, qui novum illud Mercurii iusiurandum per deorum vestibula continet germanus sit dubito. Ilgenius dicit, ἀθανάτων εὐκόσμητα προθύραια nihil esse quam periphrasin Οὐρανοῦ ut idem sit atque „ἴστω Οὐρανὸς εὐρὸς ὑπερθευ.“ Quae vero elocutio si quid veri continet tam contorta et coacta est, ut a nostro quidem simplici poeta alienam putem. Versum deinde orationis proximum extremo qualem Hermannus restituit legimus: „καὶ που ἐγὼ τούτῳ τίσω ποτὲ νηλέα φώρηγ“, i. e. Apollini vero aliquando rependam antri investigationem odiosam. Antiquus igitur poeta ex mea quidem sententia sic scripsit:

v. 378. πείθεο καὶ γὰρ ἐμεῖο πατὴρ φίλος εἶχει εἶναι,

v. 382. καὶ σε φιλῶ καὶ τούτον ὀπίζομαι, οἶσθα καὶ αὐτός.

v. 383. ὡς δ' οὐκ αἰτίος εἰμι μέγαν γ' ἐπιδώσομαι ὄρκον

v. 385. καὶ που ἐγὼ τούτῳ τίσω ποτὲ νηλέα φώρηγ.

V I T A .

Natus sum Ernestus Albertus Oscar Schulze Eckartsbergae Saxonum non. Octob. a. MDCCCXLV, patre Friederico, quem iam ante undecim annos morte ereptum maxime lugeo semperque lugebo, matre Sophia, e gente Koehn, quam adhuc superstitem valde laetor. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis in gymnasio Cizensi et schola Sangerhusana imbutus post patris obitum discipulis gymnasii Nordhusani, quod Schirlitzio rectore laetissime floruit, adscriptus sum. Post septem annos et sex menses maturitatis testimonium adeptus, ut philologiae me traderem studiis Berolinum me contuli, ubi per semestre in Trendelenburgi, Mommsenii, Kirchhoffii, Gerpertii, Gruppii scholis versatus, deinde Halas profectus sum ad studia continuanda. In hac litterarum sede per quinque semestria interfui scholis Bergkii, Bernhardyi, Zacheri, Schalleri, Erdmanni, Duemleri, Steinharti, Haymii; praeterea per tria semestria seminarii nec non Bergkii societatis philologorum per semestre sodalis fui. Quibus Viris omnibus, qui benevolenter studia mea rexerunt, gratias ago quam maximas semperque agam.



THESES.

I.

Hymnus in Mercurium Homericus non ante Terpandri aetatem confectum esse censeo.

II.

Phaedrum dialogum a Platone iuvene confectum esse nego.

III.

Cicero haud apte dixit in libro „De finib. bon. et mal. I, 3 fin.“ „linguam latinam non modo non inopem, sed locupletiore[m] etiam esse quam Graecam.“

IV.

Minervam *Τριτογένειαν* esse dictam a mythico quodam flumine *Τρίτων* (cfr. Galeni „De Hippocr. et Plat. plac. III, 8“) contendo.



THE HISTORY

I.

History of the Republic of the United States of America

II.

History of the Republic of the United States of America

III.

History of the Republic of the United States of America

IV.

History of the Republic of the United States of America

LIBRARY OF CONGRESS



0 003 059 881 7